

B. h. II 340.  
h. 66, 22.

(X 1876335)



DEO Moderante,  
Disquisitio Legalis  
*De*  
**DEPOSITO & SEQVE-**  
**STRATIONE,**


*Quam*  
Consensu Amplissimæ Facultatis Juridicæ in  
Academiâ Lipsiensi  
*PATROCINANTE*  
**Dn. POLYCARPO VVIRTHIO,**  
Ph. & J. U. Doctore, P.P. Dicasterii in inferiori Lusatia Ele-  
ctoralis, ut & prælaudati Collegii Juridici  
Adseffore, &c.

*publicè discutiendam exhibet*  
**DAVID MULLER, Wihâ-Thur.**

*In Auditorio JČtorum Petrino ad d. XII. Decembris.*  
*Horis consuetis.*

---

LIPSIÆ Typis excudebat Johannes Bauer.  
ANNO M. DC. L.





Assit MONAS  
Sanctaꝝ TRIAS!

**S**Iicut in negotiorum civilium innumerabili,  
*§.2.in.f. Inst. de J. N. G. & C.* & penè infinitâ multitudine  
præcipuæ considerationis sunt, qvibus vitæ societas in o-  
mni Civitate conciliatur, & conciliata inter homines u-  
tilitatum communicatione retinetur, qvos etiam eapropter  
Legislatores & JCti Romani certâ naturâ & propriô nomine,  
*l.7. §.1.l.27. §.2.ff. de pact. conceptione & definitione propriâ, l.1.*  
*C.de jure emphyt. donaverunt:* Ita in his ipsis DEPOSITUM,  
utpote ob necessitates, qvæ in vitâ communi occurruunt, neces-  
sarium imprimis & utilitatis plenum, ideoq; frequentissimum,  
diligenti scrutiniô qvâm maximè dignum videtur. Imitari  
ergò lubet magnos illos Jurisprudentiæ Romanæ Antistites,  
( qvi non solùm ea, qvæ qvotidiana sunt, pleniùs attingere  
jubent, *l. legavi 25. ff. de liberat. legat.* sed & exemplô suô, qvan-  
tum ex Pandectis deprehendimus, ad eorum cognitionem &  
tractationem animum applicare commonefaciunt;) atq; se-  
positis illis juris argumentis, qvæ à subtili speculatione com-  
mendantur, impræsentiarum De DEPOSITO pro ingenii  
modulô differere, & in palæstrâ Academicâ vires nostras in hac  
materiâ experiri. Sit itaq;

T H E S I S I.

**O**Rdiemur autem cum JCtò Ulpianô à notatione nominis,  
qvam nos docet *in l.1. in pr. ff. h.t.* Scilicet DEPOSITUM di-  
ctum esse ex eô, qvod ponitur, præpositione, DE augente si-  
gnificationem verbi simplicis, *d.l.1. in pr.* & indicante perfecti-  
onem actûs, qvem verbum, cum quo componitur, significat, ut  
ait Servius *ad Ecl.2. Virgil.* & Johan. Ludov. de la Cerda *ad eand.*  
*v.72.n.17.* additurq; à JCtò ratio denominationis, qvòd totum  
illud positum apud aliquem, ejus fidei commissum sit, qvod ad  
custodiâ rei pertinet, *d.l.1. in pr.* qvia qvi deponit, curam cu-  
stodię à se segregat, & in alterum, plenus fiduciæ de bonâ ipsius  
fide, confert, Gl. *ibid. Gregor. 23. Syntagm. jur. 3. n. 2.*

II. Sed ne vagari & errare cogatur oratio nostra, termini

isti, DEPOSITUM & DEPONERE, qvi in jure diversimodè usurpantur & diversa significant, ad unum certumq; significatum adstringendi sunt. DEPONERE itaq; hōc locō idem est, qvod credere fidei alicujus, custodiendum aut servandum dare, l.1. §.8. ff. b.t. qvanqvam Isidorus 5. *Etymol.* 25. differentiam constituat inter depositum, & servandum, ut Hoc sit, qvod ad breve tempus custodiendum detur; ILLUD ad tempus longius, quasi diu positum, qvemadmodum & JCtus Paulus ita dictum putat 2. *sent.* 12. §. 2.

III. In hac significatione DEPOSITUM, (qvod & alibi appellatur COMMENDATUM, l.26. pr. ff. b.t. cùm commendare nihil sit aliud, qvā deponere, l.24. ff. eod. l.186. ff. de V.S.) dupliciter sumitur: Primo, pro eo, qvod custodiendum alicui datum est, l.1. in pr. ff. b.t. qvæ acceptio passim in jure nostro & apud alios Autores occurrit. Deinde pro conventione, qvā aliquid depo- nitur, *Rubr.* ff. & C. b.t. l.7. §.1. ff. de pact. & tunc vocature etiam DEPOSITIO, l.1. §.2. l.5. §.f. l.17. §.1. ff. b.t. Pacius in comm. ad *Rubr.* n. 4. C. b.t. Rittershus. in Comm. ad §.3. Inst. Q.M.R.C.O. qvæ notio nostro instituto convenit.

IV. Et sic DEPOSITUM in genere definimus: QVOD SIT CONTRACTUS, QVO RES ALICUI GRATIS CU- STODIENDA TRADITUR, UT IN SPECIE RESTITUA- TUR. l.1. ff. b.t. l.1. §.5. ff. de O & A. §. pen. Inst. Q.M.R.C.O.

V. Conflata est hæc Definitio ex substantialibus hujus contractū; qvo nomine à Dd. insigniuntur ea, qvæ essentiam cuiusq; contractū constituant, illumq; à cæteris specificè distingvunt, qvæ Lex (ut in *Praefatione* dictum) concepit ipsa & ordinavit, nec arbitrio contrahentium liberè disponenda re- liquit, l.7. §.6. l.38. ff. de pact. l.2. §.1. ff. de usufr. ear. rer. qvæ usu con- sum. l.72. & ibi Gl. in verb. adminicula. & in verb. nova emtio. ff. de contrah. emt. l.2. §.3. ff. de itin. & act. priv. l.27. ff. de R. J.

VI. PRIMUM SUBSTANTIALE Depositū suppeditat genus no- strę definitionis, qvod est CONTRACTUS, §.2. in f. Inst. de J.N.G. & C. §.f. Inst. de obl. j. §. pen. Inst. Q.M.R.C.O. l.7. §.1. ff. de pact. l.1. §.6. l.31. in pr. ff. b.t. Hinc qvia sine consensu nullus contractus existe- re valet, l.1. §.3. ff. de pact. etiam in Depositō consensū contra- hen-

hentium adesse, i. e. Deponentem cō animō esse oportet, ut velit deponere; & Depositarium cō animō, ut velit quasi depositum suscipere, l.18. §.1. ff. de R.C. Mejerus in Coll. Argent. th.6. h.t.

VII. Unde seqvitur, Depositum suscipere, & susceptione contrahere non posse, qvi in jure pro consentientibus haberi non solent, ut sunt furiosus & mente captus, & is cui bonis interdictum est, arg. l. 6. ff. de V. O. nec non infans, arg. §.9. Inst. de inutil. stipul. & pupillus, qvamvis doli capax, sc̄ suscepereit Depositum sine autoritate tutoris, l.1. §.15. ff. h.t. Harpprecht ad §. pen. n.14. Inst. Q.M.R.C.O. Neqve obstat l.46. ff. de O. & A. nam ibi ex re actio venire dicitur, qvæ descendit ex obligatione, non directo orta ex eō, qvod furiosus aut pupillus egit, sed ex consequentiā rei gestæ, qvæ pupillum vel furiosum simul contingit, ut exempla in d.l.46. adducta, & insuper d.l.1. §.15. ff. h.t. §. 2. Inst. de O. Q. Q. E.C.N. l.33. ff. pro soc. perspicue docent.

IIX. Nihil autem interest, qvomodo consensus ille contrahentium exprimatur; SIVE enim Deponens ore tenus dicat: *Hanc rem apud te depono*; aut: *Hujus rei custodiam tibi commendō*; aut: *Serva mihi hanc rem*; arg. l.1.pr. & §.8. ff. h.t. aut: *Hanc rem apud te esse volo*. l.28. ff. h.t. aut qvibuscunq; aliis verbis, indicantibus, Deponentem velle, ut alter rem custodiat, utatur: SIVE etiam scripturam & epistolam adhibeat, arg. l.24. l.26. pr. ff. h.t. Depositum contractum esse inde probabitur, d.l. 26. §.f. Mozzius de Depos. cap. de substant. & form. Depos. n. 14. Nicol. de Genoa 3. de priv. script. 9.

IX. Tacitus tamen consensus in Depositō non sufficit, à parte scil. deponentis. Ideoq; si qvis ad amicum, ipso licet vidente, sciente & paciente aliquid inferat, & ibi relinquit, nisi antea declaraverit, se custodiæ præstandæ ergo id facere, Depositum contractum non est, arg. l. 9. §. f. ff. de jure dot. Carocius de Depos. qu.1.n.6. Qvod ipsum limitationem patitur, non in casu, ubi apud cognatam personam deponitur, ut voluit Ludov. Romanus in l. qvæ dotis 33. n.36. ff. solut. matrim. rectè ab aliis propterea reprehensus; Sed in casibus, in qvibus aliquis ex officiō, & ex consensu à lege sub intellectō obligatur, veluti Nautæ, caupones, stabularii, l.1. §.f. & l.3. §.1. vers. sed figratis. ff.

Naut.caup.stabul. &c. Gomez. p.2.var.resol.tit.de Commend. & De-  
pos.n.2. Ast à parte Depositarii tacitum consensum satis esse,  
exemplô muti probat Bachovius ad Treutl.vol.1.Disp.26.θ.5.  
lit.A.

X. SECUNDUM SUBSTANTIALE Depositi colligitur ex ver-  
bis definitionis: QVO RES TRADITUR. Est enim ex ge-  
nere eorum contractuum, qvi, licet consensus sit formatus,  
non tamen perfecti habentur, priusquam intervenerit rei tra-  
ditio, §.f.Inst.de oblig. §.pen.Inst.Q.M.R.C.O.l.1.§.1. & 5.ff.de O. &  
A. sive vera & naturalis, d.ll. &l.1.pr.l.24. & passim ff.h.t.l.31.ff.  
locat. sive etiam ficta, & qvæ BREVIS MANUS nomen sortitur,  
veluti si rem mihi donatam ac oblatam alias meâ voluntate  
custodiendam susceperit, l.25.pr.ff.h.t.l.32. §.f.ff.de negot.gest.

XI. TERTIUM SUBSTANTIALE in dicta definitione positum  
est CVSTODIA REI, §.pen.Inst.Q.M.R.C.O.d.l.1.§.5.ff.de O & A.  
d.l.1.pr.ff.h.t.qvæ formam Depositi, & differentiam specificam  
constituit. A fine namq; commerciorū species distingvi, & for-  
mam suam essentialē accipere solent, Arist. I. Oeconom.i. Me-  
renda 3.contr.1.n.2. At contractus Depositi inventus est custodi-  
endarum saltem rerum gratiâ; & per hoc discriminatur à reli-  
qvis contractibus Re initis. IN MUTUO qvippe datur res non  
ad custodiendum, sed ad abutendum meā, jure dominii in acci-  
pientem collatō, pr.Inst.eod.l.2.ff.de R.C. qvod etiam IN INDE-  
BITO accidit; §.1.Inst.eod.l.5. §.3.ff.de R.C. IN COMMODO res  
datur ad utendum; §.2.Inst.eod.l.1. §.1.ff.commod. & in PIGNO-  
RE, propter fidem contractus, & restituendæ rei vinculum, §.f.  
Inst.eod.l.9. §.f.ff.de supell. legat.

XII. Videndum proinde in negotio, in quo de custodiâ  
convenit, si principaliter de eâ duntaxat actum; an verò alia  
commercii species primò contracta sit, cui negotium custodi-  
endi accesserit; Etenim si PRIUS est, dicemus Depositum con-  
tractum esse; SIN POSTERIUS, hoc etiam contractum non erit.  
Sic si Depositarius litis prosequendæ causâ instrumenta susci-  
piat, l.8.in pr.ff.mand. aut si duo convenerint, ut alter ad tertium  
rem deferat, & ubi is noluerit, ipse met eandem servet, non  
Depositum est, sed Mandatum, l.1. §.11.12.13. & 14.ff.h.t. Si ser-  
vanda

vanda committitur res, ut certō eventu secutō Tertio cuiuspiam  
detur, non est Depositum, sed contractus innominatus, l. 18. ff.  
*præscr. verb.*

XIII. Observandum præterea circa hoc formale Depositi, qvod custodia debeat esse GRATVITA, nec merces in pef-  
fationem ejus intervenire, qvia Depositum, sicuti qvoq; Man-  
datum ex fide, l. 1. §. 2. ff. b. t. officio & amicitia originem trahit,  
cui merces contrarium, §. pen. Inst. Q.M.R.C.O. j. l. 1. §. f. mand. &  
ideo hæc ubi est, ibi vel locationis conductionis contractus  
constituitur, l. 1. §. 8. & 9. l. f. ff. b. t. l. 3. §. 1. ff. Naut. caup. stabul. &c.  
vel jure contractus innominati negotium censetur, arg. l. 18. j.  
l. 22. ff. *præscr. verb.*

XIV. Diximus, mercedem esse impedimento Deposito  
contrahendo; illam scil. qvæ hōc nomine propriè appellatur,  
operæ premium ex consensu contrahentium constitutum, d. ll.  
l. 19. §. f. l. 38. l. 51. §. f. & pass. ff. locat. Ast merces etiam impropriè  
dicitur honorarium & liberalitas, qvâ Deponens Depositarii  
officium remuneratur, l. 5. §. 2. ff. commod. l. 2. §. 24. ff. vi bon. rapt.  
qvale qvid si promissum aut oblatum sit, imprimis personæ  
non solitæ mercenariam operam in custodiendis aliorum re-  
bus impendere, non statim Depositum everti, argumento dd.  
LL. & exemplō Mandati, l. 6. pr. ff. mand. recte statuunt Cujacius  
in parat. C. hic. Pacius ad rubr. n. 6. C. eod. Treutlerus Vol. I. Disp. 26.  
θ. i. lit. E. Rittershus. ad §. pen. Inst. Q.M.R. C. O.

XV. Declaratis ad hunc modum Substantialibus Depo-  
siti, dicendum esset de iis, qvæ Dd. NATURALIA ET ACCIDENTA-  
LIA vocant; Sed qvia eadem in unâ speciesum repetenda fo-  
rent, statim subjiciemus Divisiones Depositi, qvas multivarî-  
am Dd. proponere solent, ut videre est apud Mozzium *de De-*  
*pos. tit. de divis. depos.* Carocium *de Depos.* qv. 2. & alios. Nos il-  
lam divisionem, qvæ ex qualitate rei depositæ sumitur, sum-  
mam esse remur, ut aliud sit rei LITIGIOSÆ; aliud rei NON-LI-  
TIGIOSÆ: Prius in proprium nomen Seqvestrationis transit; Po-  
sterius innomine generis sui stat, idq; κατ' ἐξοχὴν gerit; à Dd.  
autem SIMPLEX ET VULGARE nuncupatur, arg. l. 17. ff. b. t. Schnei-  
dewin. add. §. pen. n. 6. Harpprecht ib. n. 10. Inst. Q.M.R.C.O.

XVI. Vul-



XVI. VULGARE & SIMPLEX Depositum sicut nomen, ita etiam definitionem cum genere eandem passim apud Autores habet. Dicunt enim esse CONTRACTUM JURIS GENTIUM, *l. 31. §. 1. ff. h. t. NOMINATUM*, *l. 7. §. 1. ff. de pact. RE INITUM*, *§. pen. Inst. Q. M.R.C.O. BONÆ FIDEI*, *l. 11. d. l. 31. ff. l. pen. C. h. t.* adjiciuntq; cætera, qvæ habentur *suprà θ. V.* in definitione generis, vid. Treutl. *d. Dispp. 26. θ. 1. Harppr. d. loc. Gædd. p. 2. Dispp. ad Pand. 5. θ. 1.* tamen brevius & concinnius sic concipi potest: DEPOSITUM in specie dictum, EST DEPOSITUM REI NON LITIGIOSÆ, arg. *l. 1. §. 17. ff. h. t.*

XVII. Dum Depositum dicitur, hoc ipso jam liqvet, ad substantiam ejus reqviri consensum, traditionem rei & custodiam gratuitam, juxta *hactenus dicta*. Circa prius, dubium aliqui ex surgere posset ex divisione Depositi, qvam JCtus in *l. 1. §. 2. ff. h. t.* proponit, & Dd. omnes unanimiter suscipiunt, dum aliud nominant VOLUNTARIUM, qvod ex liberâ voluntate proficitur; aliud NECESSARIUM, qvod ex necessitate descendit: Necesitas qvippe, cum (ut Nonius Marcellus *de propr. serm. c. 4. §. 323. definit.*) sit vis qvædam, qvæ alterum cogere invitum potest; qvo & collimant *l. 33. ff. de jur. dot. l. pen. §. f. ff. de excus. l. 52. §. 7. ff. de O & A. ac ali& plures*, consensui contraria est, *l. 116. ff. de R. J.* qvomodo itaq; contractus erit Depositum, qvod ex necessitate fit?

XIX. Verùm nodus iste solvitur facilimè; nam non hæc est divisio Depositi à causâ aliquâ ad ejus essentiam concurrente, sed distinctio à causis impellentibus aliquem ad deponendum desumta, cujusmodi sunt, tumultus, incendium, ruina, naufragium. *d. l. 1. §. 1. 2. & 3. ff. h. t.* ex qvibus imminens periculum amittendæ rei facit, ne Depositor secum deliberare possit, cujus fidem in servandâ re eligat, sed ut credat eam, qvicunq; statim ad manus est; qvod utiq; non facit sine approbatione voluntatis, qvæ in ejusmodi actibus, ubi necessitas imponitur non à personâ, cum qva agitur, sed à causis fortuitis, ex eô, qvod utile appareat, ex se solâ movetur, & effectrix principaliſ est, qvemadmodum eleganter docet Bachovius in *Comm. ad l. 4. c. 1. n. 3. ff. quod met. caus.*

XIX. Alia

imob **XIX.** Alia qvoq; partitio Depositum simplicis se offert apud Dd. in REALE sive actuale, & CONFESSATUM sive fictum: Illud esse, qvando verè constat de re depositâ; Hoc autem est, de qvo non constat, nisi per confessionem Depositarii, Mozzius *d. loc. n. 6.* Carocius *d.p. i. qu. 2. n. 1.* Hæc distinctio qvanqvam ex altero substantiali, TRADITIONE REI, provenire videatur, reverà tamen ab accidente est, probatione putà factæ traditionis, qvæ, sive per confessionem solam Depositarii: sive per alios modos impletur, in ipso Depositô nihil differentiæ efficit; Eaq; propter rectissimè sentiunt, qvi privilegia veri Depositi non subtrahenda esse confessionato, contendunt, Carocius *d. loc. n. 11.* Fachinæus *2. controv. jur. 92.*

**XX.** Cæterùm ad substantialia Depositum pertinet inspeçtio tûm PERSONARUM, qvæ & apud qvas; tûm RERUM, qvæ deponi possunt? De illis constat, posse deponere non solùm dominum rei alicujus, *l. 17. §. 1. ff. b. t.* sed etiam qvemlibet possessorem, tam bonæ qvam malæ fidei, *l. 1. §. 39. l. 31. §. 1. ff. b. t.* mulierem qvoq;, *l. 26. ff. eod.* nec non qvi sunt sub potestate alterius, veluti filium fam. *l. 19. ff. eod.* Servum, *d. l. 1. §. 17. 30. & seqq. eod.* pupillum, *pr. Inst. de autor. tut.* posse insuper alium alterius nomine, *l. 1. §. 11. ff. b. t.* & plures eandem rem simul deponere, *d. l. 1. §. 44. ff. eod.*

**XXI.** De PERSONIS autem, apud qvas deponi potest, regulam faciunt: Omnes posse suscipere Depositum, qvi contrahendo possunt obligari, sive unus sit, sive plures, *l. 1. §. 43. ff. b. t.* sive liber, sive servus, *d. l. 1. §. 18. l. 21. §. 1. ff. eod.* sive pater- sive filius fam. *d. l. 1. §. 42. eod.* Pupillus autem sine autoritate tutoris interveniente, Depositarii personam cum effectu non sustinet, ut dictum *suprà θ. VII.* nisi ex Deposito locupletior exstiterit, aut dolosè in eo versatus fuerit, *l. 1. §. 15. ff. b. t. l. 1. & 2. C. si advers. credit. Gœdd. de contrah. & committ. stipul. c. 7. concl. 10. n. 126.*

**XXII.** Qvod ad RES, deponi possunt non modò res depositoris propriæ, sed etiam res alienæ vel jussu & nomine domini, ut à procuratore & negotiorum gestore, *l. 1. §. 11. ff. b. t.* vel etiam suô nomine, maximè si Depositum de eâdem teneatur, veluti à Depositario res deposita, *d. l. 1. §. 14. l. 16. ff. eod.* à creditore pi-

gnus, l.9.C.de pign.act. hoc ita tamen, si non apud ipsum dominum deponatur; nam uti dominus rem propriam inutiliter conducit, aut utendam inepte roget, qvia usum ejus ex duabus causis contractus & dominii habere nequit, l.66. §.pen. ff. de leg. 2. Similiter ob eandem rationem frustratoriè custodiendam suscipit, l.15. ff. b.t. l.45. ff. de R. 7.

XXIII. Numquid autem in hanc Depositum speciem tantum Res mobiles & se moventes veniant; an vero ad res IMMOBILES etiam extendatur? hodie controvertitur. Veteres quidem Interpp. in prius consentiunt, quibus major pars subscribit; nec nos prorsus inficiamur, si respicimus ad id, quod frequentius est. Veruntamen cur Res immobilis ad hunc contractum habilis esse negetur, rationem non videmus; siqvidem & commendari valet, & custodiam recipere apta est, l.11. ff. de peric. & comm. rei vend. quae quidem non ita simplex est, ut rerum mobilium, sed cum annexo mandato curandi, ut in servis, l.1. §.9. ff. b.t. quod Depositum per modum pacti conventi inest; sicut viceversa Mandato per eundem modum inest conventio custodiæ, d.l.1. §.12. & 13. ff. cod. Goedd. de seqvestr. c.1.n.10. & ad l.110. n.2. ff. de V.S. Harpprecht ad §. pen.n. 18. Inst. Q.M.R.C.O. Bachov. ad Treutl. vol.1. Dispt. 26. θ.4. lit. D.

XXIV. A substantialibus Depositum progrediamur ad ea, quae ab ipsis profluunt, NATURALIA; quo nomine salutantur à Dd. quae post perfectum contractum eundem naturaliter consequuntur, & legis autoritate insunt, l.72. ff. de contrah. emt. l. 27. §.2. ff. de pact. l.5. §.pen. ff. prescr. verb. Horum quædam dicuntur INSEPARABILIA, quæ nim. ex ipsâ formâ essentiali dimanantia perpetuò & immutabiliter cohærent, d.l. 27. §.3. ff. de pact. l. 60. §.4. ff. mand. Quædam SEPARABILIA, puta, quæ vi legis aut consuetudinis communiter negotio insunt, ita tamen ut permittantur arbitrio contrahentium, l.7. §.5. ff. de pact. d.l. 72. ff. de contrah. emt. d.l.5. §.pen. ff. prescr. verb. l.15. §.3. ff. de precar.

XXV. Ex substantiali illo & formalni Depositum requisito, quod diximus esse CUSTODIAM GRATUITAM, necessariò sequitur i. dominium & possessionem rei depositæ manere penes Depositorem, nec transferri in Depositarium, l.17. §.1. ff. b.t.

b. t. & ulterius 2. hunc teneri ad eandem speciem, qvæ deposita est, restituendam. §. pen. Inst. Q. M. R. C. O. l. 24. ff. b. t. l. i. §. 5. ff. de O & A. Hinc Duo sunt naturalia Depositi, retentio dominii & possessionis, ac restitutio rei in specie sive individuo, d. ll. qvæ adeò inseparabiliter cohærent illi, ut totaliter pacto immutari non possint, d. l. 24. ff. b. t. Zasius intell. singul. c. 12.

XXVI. Sed hic non levis emergit difficultas, qvomodo hæc pro inseparabilibus haberi possint, cum tamen re æstimatō traditā Depositū contrahatur? l. 25. pr. ff. de donat. int. V. & II. Atqvin æstimatio transfert dominium in accipientem, l. 5. C. de jure dot. l. i. §. 1. ff. de æstim. act. Deinde conveniri queat, ut non eadem res, sed tantundem reddatur; veluti si pecunia neque clausa neq; obsignata, sed adnumerata traditur, aut usus ejus Depositario conceditur, l. 24. l. 25. §. 1. l. 28. l. 29. §. 1. ff. b. t.

XXVII. Doctores ad superandam hanc difficultatem distinguunt inter Depositū PROPRIMUM & regulare, qvo species restituitur; & inter ANOMALUM & impro prium, ex qvo dominium transfertur, Caroc. de Depof. p. 1. qu. 2. n. 21. Mozzius tit. de divis. Depof. n. 21. cuius distinctionis fundamentum ponunt in l. 31. ff. locat. conduct. ubi Alfenus duo memorat Rerum depositarum genera, ut aut idem redderetur, aut ejusdem generis redderetur: Qvæ distinctione Rerum licet verissima sit, non tamen divisionē illam Depositī hinc confirmari posse arbitramur; Depositum enim irregulare, prout describitur, adeò irregulare fieret, ut nihil ex formā Depositī in eō remaneret. Qvī enim ob custodiam rei suæ obligaretur Depositarius, cùm jure dominii liceat illi rem perdere prorsus, & negligere, arg. l. 25. §. II. ff. de petit. hered. l. i. ff. pro derel.

XXIX. Alio itaq; medio difficultas objecta superanda est; Nimirum cùm res qvædam, ut Alfenus d. l. 31. ff. locat. docet, sint ejusdem naturæ ac in solutione functionis, ut si eodem genere reddantur, idem restitui videatur, veluti qvæ in quantitate consistunt, l. 2. §. 1. ff. de R. C. l. 1. ff. de contrah. emt. Custodia autem earum, nisi alio corpori concludantur, difficilior sit, propterea qvod cum Depositarii aliorumvē rebus similibus facile sic permisceri queant, ut dignoscere singula corpora & restitu-

re sit impossibile; Ideo hæ ipsæ dominium magis ex quantitate præbent, qvam ex substantia, d.l.i.ff.de contrah. emt. & sic etiam si depositarum ejusmodi rerum dominium, qvatenuis in corporibus exsttit, à Deponente abeat, manet tamen fictione juris in quantitate, qvam cogitasse contrahentes præsumuntur, arg.94.§.i.ff.de solut.

XXIX. Ex his jam patet, quid reponendum sit ad L. 25.§.i. l.28. & 29.§.i.ff.b.t. in qvibus permissu Deponentis Depositarius utitur pecuniâ depositâ, & tantundem reddit: propter qvod non statim in creditum itur, sed qvia primus contractus & initium negotii spectandum, l.i.§.13. & 30.ff.eod. & dominium retinetur in quantitate, manet Depositum, & ex eō Depositarius, si fidem frangit, convenitur. Tunc autem in creditum itur, & ex Deposito per consumtionem pecuniæ fit Mutuum, si ab initio expressè convenit, ut mutua fieret, l.6.l.10. ff.de R.C. etenim sine expressâ voluntate mutuandi Mutuum non contrahi posse, satis clarè patet ex l.18.§.i.ff.eod. & huc respexit Papinianus in l. 24. & Ulpianus in l. i.§.34.ff.b.t.

XXX. Qvod verò L.52. ff.de donat. int. V. & II. concernit, proponitur ibidem casus, ubi maritus speciem qvandam depositit apud uxorem, qvæ inter illos minoris justò preciò aestimatur, idq; causâ donationis & liberalitatis, ut uxor, si velit rem retinere & aestimationem solvere, lucrum & donum habeat in hoc, qvod istam excedit. Dicit JCtus, *Depositum esse*; & rectè, qvia non translatum est dominium per aestimationem simplièiter, & statim in ipsâ traditione, sed conditionaliter, si uxor scil. aestimationem tempore restitutionis eligat: Et hæc conditio non vitiat Depositum, sed si extat, resolvitur illud, & disceditur ab eo, qvemadmodum fit in venditione, qvæ sub additione in diem facta est, evenire consuevit, l.2. ff. de in diem addict.

XXXI. Confirmatis per dicta duobus naturalibus inseparabilibus, θ. XXV. definitis, addunt aliqui TERTIUM, repetitionem Depositi pro lubitu deponentis. Et fluit quidem hæc à formâ quoq; Depositus, estq; illi proprium ac naturale, l.i.§.22. ff. b.t. adeò ut si pactum initum sit de certo tempore, qvo Depositum

tum reddi debet, liceat Depositori voluntatem mutare, d.l.i. §.  
45. & 46. Ex hoc ipso tamen, quod pactum huic contractui ad-  
jici potest, apparet, hanc qualitatem illi immutabiliter non co-  
hærere, sed rectius censeri pro naturali separabili, quemadmo-  
dum etiam ejus relatum, prompta & ad nutum Deponentis pa-  
rata restitutio Depositum, d.l.i. §.22. vers. Marcellus autem ff. b.t.

XXXII. In hunc censem venit etiam illa nota Depositum, quod fiat saltem in gratiam DEONENTIS, l.5. §.2. ff. commod. nam licet aliquibus videatur id inseparabile, quinque tantum solius Depositarii, aut utriusq; gratia Depositum contrahi posse, Treutl. vol. i. Disp. 26. 0. 3. lit. B. & C. aliter tamen se res habet. Si enim honorum intervenit, jam utriusq; utilitas in contractu isto ver-  
sabitur, quemadmodum etiam ubi usus rei depositae in arbitri-  
um Depositarii confertur, & in specie l.31. ff. locat. simile quid  
observatur: Solius autem DEPOSITARII commodum versatur  
in illo Deposito, de quo agitur in l.4. ff. de R.C. quod & aliis mo-  
dis accidere potest, Bachov. ad Treutl. d. loc.

XXXIII. Naturale quoq; ejusmodi est Restitutio fructu-  
um & omnis causae ac obventionum rei depositae, ad quam De-  
positarius tenetur, l.1. §.24. ff. b.t. l.38. §.10. ff. de usur. l.22. l.35. l.f. §.1.  
de V.S. Sicut contra periculum casus fortuiti est Deponentis,  
idq; etiam ex natura contractus, in tantum, ut nec negligentia  
Depositarii autorem suum teneat, sed imputetur ipsi Depo-  
nenti, §. pen. Inst. Q.M.R.C.O. etiam post commissam moram, si  
res apud eundem pariter periclitata aut peritura fuisset, l.14. §.  
1. ff. b.t. Hotomann. illust. quæst. 30. inf.

XXXIV. Haec naturalia comitatur præstatio doli, & sub  
eo contentæ, latæ culpæ, à quâ Depositarius nec pacto in prin-  
cipiō contractus se liberare potest, §. pen Inst. Q.M.R.C.O. l.1. §.7.  
l.32. ff. b.t. l.5. §.2. ff. commod. l.23. ff. de R.J. Loquimur autem de De-  
posito, quod frequentius est, & solius Deponentis causâ cele-  
bratur. Verum illi, quod comprehendit simul utilitatem De-  
positarii, præstatio levis, cap. ult. extr. b.t. & arg. l.5. §. 2. ff. com-  
mod. Contius ad l.23. ff. de R.J. & illi, cui solius Depositarii gra-  
tia causam dedit, etiam levissimæ, & insuper periculi ex casu

fortuitō, l.4.ff. de R.C. naturaliter inest, Rittershus. add. l.23.c.3.  
de R.J.

XXXV. Aliqvando tamen etiam in communiori Deposito præter dolum & latam præstatur levis culpa, & levissima, ut qvando qvis Deposito se offert, l.1.§.25.ff.c.ult.extr.h.t. nec non casus qvoq; fortuitus, ut qvando causam damno præbuit Depositarius vel culpâ suâ vel morâ, l.12.§.f.ff.d.cap.ult.extr.h.t. Insuper pactō conventō ad præstationē culpæ omnimodę periculiq; Depositarius, l.1.§.6. & 35.ff.l.1.C.d. cap.ult.extr.eod. sicut viceversâ Depositor (qui regulariter in hōc contractu ex omni culpâ, ex qvâ damnum datum est Depositario, tenetur, l.61.§.5.ff.de furt. l.31.ff.de pign. act. Cujac. tract. 8. ad African.) ad dolis obligeare potest, arg. l.1.§.6.ff.b.t.j.l.23.ff.de R.J. vid. Donellus & Pacius ad l.1.C.b.t.

XXXVI. Ratio sita in eo, qvod naturalia separabilia per accidentalia (qvæ pro lubitu contrahentium pactis adjiciuntur, & naturam conventionum nunc augent, nunc imminunt, l.5.§.6. & 7.ff.de pact.) mutari soleant, qvalia in Deposito plurima existunt. Ex his qvædam adjici possunt tām IN CONTINENTI, qvām EX INTERVALLO, uti hæc, qvæ circa præstations recensita sunt; similiter, ut ad tempus certum vel incertum, l.1.§.45. & 46.ff.h.t. aut in certo loco, l.5.§.1.l.12.pr.cod.l.8, C. ad exhib. res restituatur; & plura, qvæ passim in Legibus occurruunt: Qvædam tantūm ex intervallō, veluti, ne Depositi agatur, item ne dolus jam commissus præstetur, l.27.§.3.ff.de pact.

XXXVII. Ex hōc contractu Depositionis nascitur Obligatio mutua. A PARTE quidem DEPOSITARII directō & ex ipsō factō, quo custodiā rei in se suscepit, & operam suam promisit: A PARTE verò DEONENTIS ex necessitate consequentiæ rei, qvæ agitur, ad indemnitatē Depositario (cui officium suum damnosum esse non debet, l.7.ff.Testam. quemadmodum aper.) præstandam, l.1.§.9.l.5.l.12.ff.h.t. Et EX ILLA actio directa Depositori adversus Depositarium; Ex hac actio contraria Depositario adversus Deponentem oritur, d. l.5.ff.l.10. C. b. t. l.1.l.6. §.6. & f. de his qui not. inf.

XXXIX. ACTIO DIRECTA datur non solūm ipsi Deponenti,

nenti, §. pen. Inst. Q. M. R. C. O. qvi si servus est, domino ipsius  
competit, l. i. §. 17. ff. b. t. aut illi qvi pro domino est, d. l. i. §. 27. &  
29. ff. l. 9. C. eod. Si filius fam. tum ipsi, l. 19. ff. eod. tum patri ejus,  
arg. pr. Inst. Q. A. L. V. N. etiam furi & prædoni, l. i. §. 39. l. 31. ff. b. t.  
modò non concurrat, cujus petitio justior sit, d. l. 31. §. 1. Verùm  
etiam heredi, cæterisq; successoribus pro parte, qvâ heredes  
sunt, l. i. §. 19. l. 9. ff. l. f. C. eod. nisi fortè res foret individua, aut  
duo contenderent de solidâ hereditate, tunc enim datur illi,  
qvi cavet, se defensurum Depositarium aduersus coheredes, d. l.  
i. §. 36. & seq. Eadem qvoq; utiliter & per justam interpretatio-  
nem conceditur Domino rei, qvam aliis cum pacto, ut ipsi do-  
mino restituatur, depositum, l. pen. C. ad exhib. aut Depositarius  
nomine procuratoris recepit, cessione tamen prius factâ, l. i. §.  
11. ff. b. t. nec non illi, cui restitutio rei singulariter convenit,  
l. 26. pr. ff. eod.

XXXIX. Conveniuntur autem hâc actione omnes Depo-  
sitarii, qvi ex suscepto Deposito obligati sunt, d. §. pen. Inst. Q.  
M. R. C. O. si modò facultatem restituendi habeant, aut eam do-  
lô malô amiserint, l. i. §. 21. & seq. §. 31. cum seq. ff. b. t. Non itaq; ve  
contra furiosum aut pupillum, l. i. §. 14. & 15. ff. b. t. nec eum, qvi  
pactô vel legatô liberatus est, l. 27. §. 3. ff. de pact. l. 8. §. f. ff. de liberat.  
leg. sed nec aduersus eum, qvi ex aliquâ causâ à Depositario  
accepit, l. 8. C. b. t. At contra heredem Depositarii in solidum  
datur, tum ex factô etiam dolosô defuncti, l. 8. C. l. 7. §. 1. l. 9. &  
seq. l. 14. §. 1. ff. b. t. l. 12. ff. de O & A. tum propriô, d. l. 9. ff. b. t. ad  
qvem modum pater & dominus actione Depositi de peculiô  
tenantur, l. i. §. 42. ff. eod. l. 5. ff. de pecul. neq; vaqvam tamen post  
emancipationem filii, aut manumissionem servi, l. 21. pr. & §.  
1. ff. b. t.

XL. Petuntur hâc actione tam res ipsa, qvæ vel non red-  
dita, sed deterior reddita est, §. pen. Inst. Q. M. R. C. O. l. i. §. 16. ff. b. t.  
qvâm ea, qvæ depositis rebus accedunt, licet hæc deposita non  
sint, d. l. i. §. 5. ff. eod. Et qvoniam hæc actio est bonæ fidei, §. 20.  
Inst. de action. l. i. §. 21. ff. b. t. ea propter in illam veniunt, qvæ-  
cunq; ex bono & æqvo Depositarium Deponenti præstare con-  
venit, veluti fructus & omnē causam, ut dictum suprà θ. XXXIII.

nec



nec non usuras, sive ex pacto eas receperit, l. 24. & 26. §. 1. ff. b. t.  
SIVE ex facto, usus scil. rei depositae, l. 28. & 29. §. 1. ff. l. 3. & 4. C.  
b. t. SIVE ex mora, l. 25. §. 1. ff. l. 2. C. eod. petantur; utq; ex contu-  
macia non restituentis jureatur in item, d. l. 1. §. 26. ff. eod. l. 3. & 5.  
ff. de in lit. jur.

XLI. Et quia in hoc contractu bonam fidem exuberare, &  
reposcenti rem sine tergiversatione reddere decet, l. 1. §. 22. & f.  
ff. l. pen. C. b. t. præstatq; non suscipere talem causam, qvam  
decipere, l. 7. pr. ff. eod. ut Deponentibus eò melius consu-  
latur; & tergiversatio illa, qvæ sine dolo non est, coercetur,  
moratorq; ad restitutionem urgeatur, INFAMIA POENA irroga-  
ta est illi, qui cùm conventus sententiam condemnatoriam ex-  
pectat, l. 10. C. b. t. l. 1. l. 6. ff. de his qui not. infam. EX qvô seqvitur,  
ut ita condemnat à dignitatibus arceri & è Collegiis honestis,  
corporibusq; Opificum removeri queat, arg. l. un. C. de infam. lib.  
X. j. l. pen. de dignitat. lib. XI. prout etiam docet Dn. Carpzovius  
4. Jurispr. forens. 45 def. 10.

XLII. Huic actioni singulare quid contingit, contrà qvam  
aliis actionibus ex contractu descendantibus, qvæ omnes sunt  
merè Rei persecutoriae, §. 17. Inst. de action. hæc autem aliquando  
MIXTA fit, i. e. partim rem ipsam, partim pœnam persequi-  
tur, d. §. 17. & 26. Inst. eod. Idq; contingit in DEPOSITO NECESSA-  
RIO sive MISERABILI (ut etiam appellatur) ubi Prætor adversus  
eum, qui dolo malo illud inficiatur, hanc actionem IN DUPLO  
pollicetur, l. 1. §. 1. l. 18. ff. b. t. j. d. §. 26. Inst. eod. quia cùm ex causâ  
Depositi crescat perfidiæ crimen, coercenda erat Reip. vindi-  
candæ causâ, d. l. 1. §. 3. ff. eod.

XLIII. Actionem hanc non ex DELICTO, ut perperam o-  
pinatur A. Faber dec. 76. Err. pragm. 4. sed ex CONTRACTU esse, a-  
pertò testatur Imperator in d. §. 17. Inst. de act. j. §. 1. vers. aliquando.  
Inst. de perp. & temp. action. (qvem versiculum de hac recte ac-  
cipiunt post Theophilum in Paraphr. & Glossam Hotoman-  
nus, Ferrettus, Contius, Rittershusius add. §. 1. Lyclam. 2. Bene-  
dict. 2. P. Faber in l. sicut 38. ff. de R. J.) neq; enim specie diversa est  
ab actione Depositi, sed qualitate tantum, & conditione novâ à  
Prætore aucta, ut pœna perfidiæ, qvæ est Alterum Tantum, ul-  
tra

tra simpulum & rei aestimationem, locupletata: atq; ita Prætoria effectu est, ut patet ex alleg. textibus, & l.i. §. 1.2.3. ac l. 18. ff. h. t. qvod omnes pene Interpretes add. §. 17. Inst. de action. docent, & clarum fit exemplu actionis De eo, qvod certu loco, qvæ est actio ex stipulatu civilis, sed à Prætore ex stricti juris facta arbitraria utilitatis publicæ causâ, adjectâ novâ qualitate, l.i. & l. 2. ff. de eō quod cert. loc. Bachov. de action. Diff. 7. p. 2. θ. 2.

XLIV. Hinc qvia actio hæc Depositii miserabilis per augmentum & commisionem pœnæ à classe civilium & merè Rei persecutoriarum transivit ad classem actionum prætoriarum, & mixtarum, i.e. rei persecutione pœnalium; Igitur ADVERSUS HERIDES depositarii ex dolosâ Depositii inficiatione ejusdem non datur in duplum, sed IN SIMPLUM duntaxat, nec hoc quidem perpetuò, sed INTRA ANNUM; (qui terminus est actionum Prætoriarum, qvæ plus quam ex patrimonio agentis abest, perseqvuntur, pr. Inst. de perp. & temp. act. l. 35. ff. de O & A.) qvô clapsô ad simplicem civilem actori est redeundum, d. §. 1. vers. aliquando. Inst. eod. l.i. §. 1. l. 18. ff. h. t. Bachov. in Exerc. ad Chil. A. Fabr. loc. supr. cit. Si tamen heres ipse met dolum admisit, tunc adversus illum etiam, sicut adversus Depositarium, intra annum datur, d. ll.

XLV. CONTRARIA Depositii actio competit Depositario, l. 5. ff. b. t. nec non heredibus & successoribus ejus, arg. §. 1. Inst. de perp. & temp. action. in Deponentem, ejusque heredes & successores, arg. l. 49. ff. de O & A. l. 152. §. f. ff. de R. J. ad recipiendum qvod impendit in rem depositam, l.i. §. 9. l. 8. inf. l. 12. pr. l. 23. ff. h. t. & ad sarcinandum damnum, qvod ipsi ex re depositâ obvenit, l. 5. ff. eod. l. 31. inf. ff. de pign. act. l. 61. §. 5. ff. defurt. & si quid aliud ex fide bonâ præstandum erit, arg. §. 30. Inst. de act. quamvis & hæc ipsa bonæ fidei sit; qvia tamen non de fide ruptâ agitur, non juratur in eo in litem, l. 5. ff. Depos. nec condemnatus infamiae notam incurrit, l. 6. §. f. ff. de his qui not. infam.

XLVI. Supersunt PRIVILEGIA, qvæ causæ & actioni Depositii à jure concessa sunt, breviter percensenda; Qvorum PRIMUM fit, actioni Depositii non posse objici Exceptiones, per quas differtur restitutio Depositii, & evitatur cōdemnatio, qva-



Ies sunt compensatio, deductio & exceptio doli. Et compensatio quidem in tantum objici prohibetur, ut nec admittatur, si ex utrâq; parte aliqvid fuerit depositum, l.pen.C.b.t.l.f.C.de compens. §.31. Inst. de act.

XLVII. Qvia verò Imperator in d.l.f.C. b. t. generaliter præcipit Depositarium compellere, ut rem illicò modis omnibus reddat, nec utatur exceptione doli, quasi actiones personales contra Deponentem prætendens; dubium emergit: An etiam exceptionem retentionis ex causâ actionis Depositii contrariæ amputaverit? Major pars Dd. stat à parte negativâ, si Depositarius NECESSARIAS impensas in Depositum factas reposcat; in qvam & nos descendimus, moti primùm Regulâ illâ juris: Cuidamus actionem, ei multò magis concedimus exceptionem, l.151. §. 1. ff. de R. J. qvæ maximè obtinet datâ actione contrariâ, pertinente ad eandem rem, l. 18. §. f. ff. commod. Pacius ad d.l.f.n. II. C.b.t. Bachov. ad Treutl. vol. I. Dispt. 26. θ. 5. lit. B & C.

XLIX. Jam constat ex L. 23. ff. b. t. actionem Depositii contrariam dari per modum Reconventionis Depositario: in qvâ Lege pro Servô constituto, non legendum est, Servô restituto, ut volunt P. Pythæus ad Licin. Ruf. collat. LL. Mosaic. tit. de Depos. 10. & Dion. Godofredus in not. ad d.l. 23. nam sic ex illâ lege concludendum foret: Actionem contrariam non posse institui durante judiciō directæ, sed eō prorsus finito; atq; ita nō per modum Reconventionis. Nam ubi Reconventio locum habet, ibi jure civili reqviritur, ut omnia simul tractentur, & utraq; actio unâ sententiâ terminetur, l. 1. C. rer. amot. Nov. 96. c. 2.

XLIX. At dictam L. 23. ff. b. t. loqui de Reconventione, phrasis ista: *Apude eundem judicem utiliter experitur*; arguit. Experiri enim est agere apud judices, ut multis autoritatibus Legum probat Brissonius lib. 5. de V.S. in verb. Experiri. Et ita etiam in Basilicis lib. 13. tit. 2. c. 23. hanc legem acceperunt Impp. Basilius & Leo, his eam referentes verbis: ὁ ἐναγόμενος ὥστι δύλω τῇ ὥστῃ τῆς καταθηκῆς αἰγωγῆς, παλῶς ὥστὶ τῷ αὐτῷ δικαστῇ ὥστι τῶν τροφῶν αὐτῷ κινῆ; qvæ posteriora verba sic explicat Scholiares Græcus: καὶ μόνον τῷ κοιτραξίᾳ Δεωοῖται κινῆ ὥστι τῶν τοικέται τροφῶν, αἷλα καὶ ὥστὶ τῷ αὐτῷ δικαστῇ, καὶ

νὰν ἀνθεῖναι κομιστὸν Κατζίονα ἢ ἀνέλλογον μὴ δύναται i. e. Non solum contraria Depositi movet cibariorū, quæ servos præbuit, nomine, sed etiam apud eundem judicem licet compensationem opponere non posse. Unde clarum fit, in Pandectis lectionem non mutandam esse, & verbum (constitutō) potius interpretandum, depositō vel posito; Constituere enim aliquando significat ponere, & constitutus, *positus*; sic dicitur constitutus in dignitate, l.5. ff. de Senat. in munere, l.1. ff. de oper publ. in causam pignoris, l.2. C. de postlim. revers. Briss. d. lib. 3. de V.S.

L. Similiter exceptio dominii in re depositâ non est ab Imperatore prohibita, dum prohibet exceptionem doli propter actionem in rem; quæ verba de vindicatione competente Depositario ad aliam rem, quam eam, quæ est deposita, rectè accipiuntur: Nam in causâ Depositi præfertur Dominus ei, qui depositum, l.31. §.1. ff. *Depos.* nec constare potest Depositum rei suæ apud dominum, l.15. ff. b. t. l.45 ff. de R. J. Et in genere notandum: Quæcunq; exceptiones eò spectant, ut Depositarius neget, se ex causâ Depositi teneri, nec jus suum actione consequi valeat; veluti sunt, pacti conventi, jurisjurandi, solutionis, rei judicatæ, illas prohibitas non esse, sed utiliter agenti Depositori opponi posse, arg. l. f. ibi: *postea legitimæ actiones integræ quoque ei reserventur;* & *: integrâ omni legitimâ ratione servata.* C. b. t. l.12. §.1. ff. eod. j. l.3. §.13. ff. ad exhib. Donell. in Comm. add. l. f.

LI. ALTERUM PRIVILEGIUM causæ Depositi est, quod instrumento Depositionis Exceptio non numeratæ pecuniæ aut rei non traditæ penitus opponi nequeat, l. pen. §.1. C. de nō numer. pecun. Ex quod & ex d. l. f. C. h. t. Bartolus & alii Dd. inferunt, causam Depositi esse SUMMARIAM, & habere paratam executionem, ita ut nullâ opus sit sententiâ condemnatoriâ. Sed ea sententia rationem non habet; Etsi namq; concedatur, ubi ex instrumento idoneo Depositum probatur, executivè procedi, Coler. 3. de process. exec. 1. n. 20. & 21. hoc tamen non venit ex qualitate causæ ipsius, putâ Depositi; sed ex qualitate instrumenti, quod ejusmodi est, ut notorium inducat, arg. l.3. C. de edit. D. Hadr. toll. Ordin. provinc. de anno 1555. tit. von Brieff und Siegeln. Unde sequitur, Depositi causam ex se & naturâ suâ neque

summariam esse, neq; paratam habere executionem, ut recte  
animadvertisit Pacius in d.l.f.n.4.C.b.t.

LII. TERTIUM est, Depositario non dari quadrimestres in-  
ducias ad judicatum faciendum, qvia ILLICO res restituenda  
est, l.i. §.22, ff. & l.pen.C.b.t. qvod accipiendum non in casu, qvō  
species extans apud Depositarium petita est, ( nihil enim tunc  
præcipui habet actio Depositi præ cæteris, ex qvibus species  
petitur, arg. §.f. Inst. de off. Jud.) sed eō, qvō vel re non extante æ-  
stimatio præstatur, vel res fungibilis deposita est. Nam qvod  
Bachovius ad Treutl.d. Disp. 26.θ.7. lit. C. contendit, idem tunc ob-  
servari in Depositō, qvod in Mutuō, hoc simpliciter verum  
non est, qvia ut suprà θ. XXIX. ostensum, non statim ubi res  
fungibilis deponitur, aut ubi æstimatio debetur, Depositum  
desinit esse Depositum, & L. f. de omni restitutione ex causâ  
Depositii loquitur.

LIII. QVARTUM, idq; non exigui momenti PRIVILEGIUM,  
est prælatio Deponentis inter Creditores Depositarii, qui sol-  
vendo non est. Et qvidem si res deposita extat, eandem Depo-  
nens recipit, posthabitatis cæteris Creditoribus omnibus; sed  
non ex privilegiō qvōdam, verū ex jure dominii, l.i. §.10, ff. ut  
in poss. legat. eat. Qvando autem res deposita à Debitorum aut con-  
sumta, aut dolō malō interversa est, tunc singulari jure solet  
primō locō & ante privilegia haberis ratio Depositorum, l.7. §.  
pen. l.8. ff. b.t. Cui adversari videtur L.24. §. 2. ff. de reb. auct. jud.  
posid. ubi Depositorum ratio post privilegia demum potior  
esse statuitur. Zafius ad d.l.24..§ 2. distingvit inter privilegia  
REALIA & PERSONALIA, utillis causa Depositi postponatur; his  
præferatur: Qvam distinctionem pleriq; seqvuntur, & confir-  
mat Sereniss. Elector Saxonie in Ordin. process. nov. c.49. §. Nach  
den Gläubigern/ die ein dinglich Recht/ ic. cum olim ex Consti-  
tutione Augustæ p. i. c. 28. Depositum prælatum fuerit Arrestis;  
qvæ interpretatione restricta est ad Depositum judiciale, M. P.  
D. d. loc. qvod hodie tūm Arrestis (non tamen anterioribus)  
præferri docemur à Dn. Carpzoviō i. Jurispr. for. 28. def. 151.

LIV. Hactenus de Depositō vulgari & simplice diximus.

Nunc



Nunc agendum erit de alterâ specie Depositî in genere considerati, cui nomen est SEQVESTRE, l.6.§.pen.ff.b.t. aut SEQVESTRUM, l.f. C.qvib.ad libert.proclam.non lic. aut SEQVESTRATIO, Rubr. & l.un.C.de prob.seqvestr.pecun. l. 20. §.f.C.de agric.& censit. lib. XI. & illi, apud qvem deponitur, antiquitus SCULNA; Gellius 20.N.A.10. postea SEQVESTER; qvi dictus ab eo, qvod occurrenti aut quasi seqventi eos, qvi contendunt, committitur, ut vult Modestinus l.110.ff.de V.S. reprehensus ab Alciatô & Brechædô add.l.110. qvos refellunt Gœddæus ad.d.l. n.4. & Cladius de jure seqvestr.c.1.n.10.

LV. Definitur SEQVESTER ab eôdem Modestinô d.l. qvod sit is, apud qvem plures eandem rem, de qvâ controversia est, deponunt: & SEQVESTRE sive SEQVESTRATIO à Paulô in l.6.ff.b.t. depositum, qvod à pluribus in solidum certâ conditione custodiendum reddendumq; traditur. Posset & ita concipi Definitio: SEQVESTRATIO EST DEPOSITUM REI LITIGIOSÆ SUB CERTA CUSTODIÆ ET RESTITUTIONIS CONDITIONE, per dictas LL. & l.17. cum l.pen.ff.l.5. & 6. C.b.t.

LVI. Hujus Depositî SUBSTANTIALIA & NATURALIA qvædam sunt COMMUNIA, qvædam PROPRIA: Illa huc repetere, cùm ex præcedentibus liqvida sint, superfluum foret; Ast hæc, qvibus à Depositô vulgari secernitur, discutere omnino decet. Et PRIMUM qvidem est, LITIGIOSUM rei depositæ, sive, ut res sit litigiosa, d.ll.l.9.§.3.ff.de dol.mal.l.18.ff.præscr.verb.l.5.§.1.ff. ut legat. vel fideicomm. serv. cauf.l.5.C.qvor.appell.non recip. LITIGIOSUM autem, quantum ad nostram hanc considerationem, non solum est res, de cuius dominio causa movetur, qvemadmodum describit Imperator in Nov.112.c.2. sed qvæcunq; vitiô litigiosi contractûs subjacet, l.f. C.de litig. aut generalius, de qvâ controversia est, l.f.ff.eod.

LVII. Qvoniam verò omnes res in controversiam vocari possunt, dubium emergit: An etiam omnes Seqvestrationi sint obnoxiae? Mejerus in Coll.Argent.θ.23.ff.b.t. negat, jure civili RES IMMOBILES apud Seqvestrem deponi posse, idq; etiam svadere rationem seqvestrandi. Sed communis opinio contra eum stat, qvam confirmat tūm generalitas textuum in l.6.l.17.

*pr. & §. i. ff. b. t. l. f. C. qvib. ad libert. provoc. non lic. l. i. §. i. C. de adsert. toll. tūm ipsa ratio seqvestrandi: nam & Res immobiles pendente lite abalienari, l. pen. C. de litig. & deteriores reddi queunt; tūm qvod etiam res INCORPORALIS, qvalis est possesio, seqestrari possit, l. 17. §. i. ff. b. t. l. 39. ff. de A. vel A.P. Gœdd. ad Rubr. n. 7. extr. de S. P. & F. Pacius & Dd. in l. un. C. de prohib. seqestr. pecun.*

**LIX.** Hodie certè expeditum est, non solùm Res MOBILES, verùm etiam IMMOBILES, imò etiam INCORPORALES seqvestrò poni posse & solere, posteaq; id sancitum est Canonibus, uti t.t. extr. de S.P. & F. clem.un. eod. cap. examinatā 15. extr. de judic. cap. 2. extr. de dol. & contum. ac Ordinatione Cameræ Imperialis p. 2. c. 22. §. f.

**LIX.** Ex eo verò, qvod tantùm Res litigiosa in seqvestre datur, SECUNDUM SUBSTANTIALE ejus resultat, PLURALITAS PERSONARUM DEPONENTIUM: qvia nam LIS semper est inter plures, & ad minimum duos, arg. l. 31. ff. de procur. l. 62. ff. de judic. Auth. litigiosa. C. de litig. & in Seqvestre Deponentes sunt illi ipsi, qui litigant; seqvitur etiam, PLURES esse deponentes in eodem, qvod claris textibus in l. 6. & l. 17. pr. ff. b. t. decisum extat; & singulos qvidem semper in solidum deponere, qvod in VULGARI, ubi plures deponunt, aliter est, i.e. expressâ conventione indiget, l. 1. §. 44. l. 17. pr. ff. b. t. Gœdd. ad d. Rubr. n. 14. & 17. Cladius de jure seqestr. c. 2. n. 11. Pacius ad Rubr. n. 4. C. de prohib. seqestr. pecun.

**LX.** TERTIUM REQVISITUM est CERTA CONDITIONE CUSTODIÆ & RESTITUTIONIS, qvæ est, neutri reddere, donec lis judicata sit, & alter victor existat, l. 5. §. f. & l. seq. ff. b. t. l. 9. §. 3. ff. de dol. mal. qvod etiam confirmat Perrenonius i. var. lect. 15. ex loco qvodam Plauti in Vidulariâ: Ego servabo, quasi Seqvester detis: Neutri reddibo; donicum Res judicata erit hæc. Tamdiu itaq; Seqvester custodire, qvamdiu lis durat, & usq; qvò alter litigantium victor existat, & huic rem postea restituere debet, l. 7. §. f. ff. qui satisd. cog. l. f. C. de ord. cognit. Clem. un. extr. de S. P. & F. Cladius de jure seqestr. c. 10. n. 49.

**LXI.** Nunc porrò videndum: QVOTUPLEX sit Seqvestratio?

tio? Et communiori tām veterum, qvām recentiorum (qvos  
allegant Gœddæus ad cap. un. n. 79. extr. de S.P. & F. Harpprecht  
ad §. pen. n. 65. Inst. Q.M.R.C.O.) calculō probatur divisio ejus in  
VOLUNTARIAM sive conventionalem, & NECESSARIAM sive  
judiciale. VOLUNTARIA & CONVENTIONALIS est,  
qvam cum Seqvestro ipsæ partes ineunt, sive spontaneo motu  
in eam consenserint, de qvā loqvuntut l. 5. §. 1. & 2. l. 6. l. 17. pr. & §.  
1. l. pen. ff. l. 5. & 6. C. b. t. SIVE interveniente autoritate & jussu  
judicis, aut ex præcepto legis, ad eam accesserint, l. 16. ff. de off.  
Præf. l. 5. ff. fam. hercisc. Autoritas enim judicis & legis hīc cōdem  
modo se habent, qvo ruina & incendium in vulgari Deposiro,  
juxta tradita supra θ. XIIIX.

LXII. JUDICIALIS & NECESSARIA Seqvestratio est, qvā  
Judex ex officio, alterā vel utrāq; parte litigante invitā & refragante,  
certis ex causis ritē cognitis rem controversam Se-  
qvestri tradit, l. 7. §. f. ff. qvi satisd. cog. l. un. C. de prob. seqvestr. pecun.  
cap. 1. & seqq. extr. & Clem. un. de S.P. & F. Et de hāc non immer-  
tō qværitur: Qvā ratione CONTRACTUS dici possit? cum ex im-  
perio & coactione procedat, & fiat vel unā vel utraq; parte in-  
vitā: Contractus autem non nisi ex consensu substantiam su-  
am accipient, l. 1. §. 3. ff. de paet. l. 55 ff. l. 5. C. de O & A.

LXIII. Nobis impræsentiarum placet, qvod responderet  
Tim. Faber Dispp. annivers. 22. θ. 13. lit. A. Judicem hīc fungi vice  
ipsorum litigatorum. Constat enim, Depositum fieri posse non  
solūm à Domino rei depositæ, sed & ab alio atq; tertio, nomi-  
ne illius, licet is ignoret, l. 1. §. 11. ff. b. t. qvidni ergò Judex neces-  
sitate rei sic exigente, & ne patiatur ad rixas procedere, qvos  
potest suā jurisdictione compescere, l. 13. §. 3. ff. de usufr. possit  
rem litigiosam vice litigantium seqvestrō ponere, hāc conditi-  
one, ut victori restituatur? siqvidem & privato licet se offerre  
litigantibus, arg. d. l. 1. §. 25. ff. b. t. j. l. 110. ff. de V. S. Vid. etiam  
Gœdd. ad Rub. n. 17. extr. de S.P. & F. Clud. de jure seqvestr. c. 1. n. 26

LXIV. Ut verò leges ad voluntariam Seqvestrationem  
partes hortantur, l. 5. §. 1. ff. ut legat. seu fideicomm. serv. caus. l. f. ff. de  
fide instrum. ita judiciale regulariter prohibent, l. un. C. de pro-  
hib. seqvestr. pecun. N. P. Q. c. 51. tum qvod SEQVESTRATIO hāc  
habeat

rubrom



habeat speciem executionis, d.l.un. à qua incipiendum non est, l.i. & ibi Dd. C. de execut. rei judic. c.f. caus XI. qv. i. tūm qvod possessionis commodum nemini sit auferendum, l.6.C. unde vi. l.7.C.ad L. Jul.de Vi.cap.conquerente.extr.de restit.spol. Qvæ rationes in omnibus certè militant, faciuntq; , ut qvod in d.l.un. de pecuniâ solâ sancitum est, rectè per interpretationē ad OMNES res extendatur: Ipsa enim L.un. qvoad literam de pecunia numeratâ rectius accipitur, ut docent Cujacius in Comm. C. ad l. un. Robertus i. sent. 5. qvām in generalissimâ suâ significatione, ceu contendunt Gœddæus d.l.n.59. Cludius d.loc. c.4. n.28.

LXV. Sed Regulæ sic constitutæ non desunt, ut in toto jure fit, suæ Exceptiones; plures enim casus reperiuntur, in quibus judicialis Seqvestratio permissa est, de qvorum numero inter Dd. non convenit: siqvidem nonnulli 47. alii 40. alii pauciores recensent, Vid. Gl. in cap.2. extr. de S.P. & F. Coler. i. de process. exec. 2.n.156. Caroc. de seqvestr. p.2. Clud. d. loc. c.5.n.1. Nobis in hac συναγερφίᾳ sufficerit præcipuos indicâsse.

LXVI. Jure civili ad hanc Seqvestrationem devenitur. I. in casu cessantis ad tempus cognitionis judicialis, l.16. ff. de off. Præf. II. non præstitæ cautionis, l.7. §. f. ff. qvi satisd. cog. l.20. §. 1. & 2. C. de agric. & cens.lib. XI. III. dilapidationis dotis uxoriæ, l.22. §. 8. ff. sol. matrim. IV. populationis fructuum, qvæ fit ab eō , qvi provocavit appellatione pendente, l.21. §. f. ff. de appell. & cap. f. extr. de S. P. & F. V. incertorum bonorum, vel ob statum, l.1. §. 1. C. de adsert. toll. l. f. C. qvib. ad lib. procl. non lic. l. f. C. de Ord. cognit. aut ob reatum domini, l. f. pr. & §. 1. ff. de reqvir. Reis. Et deniq; VI. appellationis ab executione sententiæ, l.5. C. qvor. appell. non recip.

LXVII. His casibus superaddidit Jus Canonicum, casum I. contumaciæ judicium declinantis, cap.2. extr. de dol. & contum. II. periculi & scandali cavendi, si partes litigiosam possessionem vi trahant, cap.1. extr. de S.P. & F. ob qvam etiam beneficium animarum curam habens seqvestrari jubetur, Clem. un. eod. & de hoc etiam casu disponit Ordinatio Cam. Imp. p.2. tit. 21. Qvibus adjicimus casum vacantis & nondum à litigatoribus occupatæ possessionis; tunc enim qvia nulli commodum

modum possessionis eripitur, cessat qvoq; prohibitio Seqvestrationis, Menoch. de retin. poss. remed. 6.n.45.

LXIX. Ex dictis elucescit prima differentia inter VOLUNTARIAM Seqvestrationem, & JUDICIALEM; qvod ILLA nempe in omnibus; HÆC in certis saltem casibus & causis concessa sit: Altera est, qvod hæc pro necessariô & formalî requisitô desiderat cognitionem causæ, qvæ ut legitimè fiat, pars, adversus qvam decernitur, citanda est, arg.l.39.ff. de adopt.l.47.ff. de re judic. Deinde si ab alterutrâ parte Seqvestrationem fieri petitur, judici facienda est fides de jure, propter qvod, & de causâ, ex qvâ petitur, arg. l. 16. §.2.C. de erogat.milit.annon.j.l.4.C. de edend. l.23.C.de probat. & tunc postea index illam examinare & expendere debet, an sit justa & legibus fundata? an summariè probata? an Reus exceptiones habeat, qvæ impediendo Seqvestro sunt sufficientes? arg. cap.1. extr.de seqvestr.poss. & fruct.vid. Cludius d. loc.c.6.

LXIX. Redeamus ad ea, qvæ utriq; Seqvestrationis speciei sunt COMMUNIA & NATURALIA, qvale est cura rei custodiæ superveniens; qvia namq; in Seqvestre veniunt res ejusmodi, qvæ simplicis custodiæ terminos excedunt, ideo Seqvestri officium complectitur etiam CURAM rei seqvestratæ, ne damnum in eâ contingat & deterior fiat; Igitur omnia facere debet, qvæ in propriis rebus conservandis solet, veluti rem aut fructusejus tempore perituros vendere & pretium custodire, l.20.§.1.ff. de agric. & censit. lib. XI. cap. 1. & 2. extr.de S.P. & F. aliaq; similia præstare, l.2.§.22.ff. ut in possess. legat. itemq; possessione rei immobilis aut incorporalis seqvestratæ exercere jura, qvæ dominus vel possessor exercere solet, arg. Clem. un eod. Caroc. 3. de Seqvestr. 47. & seqq. Cludius d. loc. cap. II.

LXX. Exinde tamen mendosè colligunt Dd. omnem Seqvestrum POSSIDERE, & in hōc egregiè differre à Depositō *κατ' ξοχὴν* dictō. Nam ex naturâ suâ Seqvestrum, qvia depositum, habile neutiq; est ad transferendam possessionem, qvem admodum disertè docet l.39.ff. de A vel A.P. & ideo etiam Seqvestratione non interrupitur ULCUSCAPIO vel PRÆSCRIPTIO, qvam

D

pars,

pars, qvæ rem ante illam possedit, inchoavit, d.l.39. Nec distingendum h̄ic inter voluntarium & judiciale Seqvestrum; nam de ILLO agit textus ille clarissimus; in HOC verò id minimè fieri potest, siqvidem hoc mitius esse dicitur missione in possessionem ex primō decreto, cap.2. extr. de dol. & contum. qvæ missum non constituit possessorem, l.12. ff. qvib. ex caus. in poss. eat. Cujac. 9. obs. 39. Gœdd. ad cap. 1. n. 15. extr. de S.P. & F.

LXXI. Sed nec officit nostræ huic adsertioni L.17. §1. ff. h.t. nam ex illâ lege nihil aliud concludi potest, qvām in Depositō in specie dictō possessionem nunquam ex voluntate Deponentium in Depositarium transferri posse; & esse hoc illius Naturale inseparabile: At in Seqvestrō esse SEPARABILE, & posse possessionem ipsam pactō transferri, si nimirum illud ipsum agatur, ut possessio apud Seqvestrum sit; qui pendente jure victoris possessor, & possessionis jura exercet, sed sub conditione & onere reddendarum rationum & restituendorum fructuum, Clem. un. de S.P. & F. qvemadmodum Curator bonis datus, l.2. & t.t. ff. de Curat. bon. dand. l.22. §. pen. ff. mand. cuius officium nostri seculi Seqvestro injunctum esse tradit Mejerus Coll. Argent. θ.25. ff. h.t. vid. Cladius d. loc. c. 9.

LXXII. In reliquis naturalibus, qvæ de restitutione, aut etiam de præstationibus agunt, repetita intelligantur, qvæ de Depositō suprà θ. XXXIII. XXXIV. & XXXV. posuimus; nam circa illa, ut & circa accidentalia & actiones, qvæ ex hōc contractu nascuntur, penè nulla est differentia: Appellantur autem non minibus actionis Depositi seqvestrariæ vel DIRECTÆ, qvæ datur victori adversus Seqvestrem, l.5. §. 1. l.12. §. 2. ff. h.t. vel CONTRARIÆ, qvæ datur huic adversus illum, arg. d. l.5. pr. j. l.14. ff. de conduct. indeb. Caroc. 3. de Seqvestr. 48. Id verò notare convenit, has actiones non priùs nasci, qvām conditione Seqvestri existente & impletâ; l.1. §. 22. ff. l.5. C. h.t. l.9. §. 3. ff. de dol. mal. illâ verò pendente, si vel sumtuum, vel ex aliquâ aliâ ratione Seqvester litigantes vult convenire, officium judicis ipsi implorandum est, l.5. §. f. ff. h.t.

LXXIII. Per-

LXXIII. Perlustratis ita & qvalicunq; Minervâ expositis Substantialibus, naturalibus, accidentalibus, & effectibus cùm DEPOSITI in specie sic appellati, tûm SEQVESTRI; subjiciendum jam est: Qvomodo utrumq; FINIATUR & DESINAT? In quo rursum elucescet inter hæc duo DIFFERENTIA; Etenim DEPOSITUM finitur revocatione Deponentis, qvam pro lubitu qvandocunq; instituere potest, l.i. §. 22. ff. b.t. nisi fortè pacto alter convenerit, aut utilitas Depositarii subsit, arg. l. 74. & 75. ff. de R. J. Non ita SEQVESTRUM, in qvô eventus conditionis semper expectandus est, d.l.i. §. 22. ff. l. 5. & 6. C. b. t. l. 9. §. 3. ff. de dol. mal. & hic, si contingit, i.e. si lis sit finita, finitur statim Seqvestrum, l. 7. §. f. ff. qvi satis d. cog. l. pen. ff. b. t. l. f. C. de ord. cognit. Clem. un. de S. P. & F.

LXXIV. Finitur etiam Depositum, si Depositarius officio renunciet, qvod etiam ipsi, nisi pactum obstet, aut ipsius gratiâ contractus fuerit initus, liberum est qvandocunq; facere, arg. l. 20. C. de negot. gest. l. 39. §. 2. ff. de admin. & peric. tut. Mozzius de Depos. cap. f. n. ii. At hoc arbitrii non habet SEQVESTER, cui officium nō semper, cum vult, deponere licet, qvia nempe conditio & lex Depositionis ipsi obstat, l. 5. §. f. ff. b. t. Veruntamen si justissima qvædam causa illum adjuvet, & hæc à judece talis inveniatur, permittitur ipsi, sive voluntarius sit, sive necessarius, officii RESIGNATIO ex ejus auctoritate, d.l. 5. §. f. Qvæ verò justissimæ causæ dicantur, qvodammodo appareat ex l. 8. §. f. l. 9. & seqq. ff. de procur. l. 15. ff. de recept. arbitr.

LXXV. Alia differitas DEPOSITI & SEQVESTRI, qvoad finem, in eō spectatur, qvod hoc morte Seqvestris exspiret; si qvidem in hōc officiō industria personæ eligitur, Clem. un. extr. de S.P. & F. l. 5. C. qvor. appell. non recip. qvæ cum persona extinguitur, & facit, ne ad heredes officium transeat, arg. l. 6. ff. de juri sisd. l. 59. l. 67. §. 9. ff. pro soc. Clud. de Seqvestr. c. 10. n. 50. At Depositum contractus cum herede Depositarii perdurat, arg. l. i. §. 45. ff. b. t. Habet qvoq; Depositum judiciale singularem finiendi modum, RELAXATIONEM, qvæ fit vel SATISDATIONE, qvæ causam Seqvestrationis removet, & adversarium securum facit, inter-

positâ, l.7. §.f. ff. qvi satis d. jub. l.f. C. de ord. cognit. Vel Jussu & DECRETO JUDICIS, cap. 1. extr. de S. P. & F. si cesset causa, propter qvam facta est, arg. l.35. ff. de R. J. non tamen invitâ parte, cuius interesse ibi versatur, ceu probè monet Bachovius ad Treutl. vol. 1. Disp. 26. 8. pen.

LXXVI. Ut verò discrepantia inter Depositum & Seqvestrationem in præcedentibus modis finiendi apparuit; ita certnitur CONVENIENTIA in seqventi, qvi est, interitus rei depositæ aut seqvestratæ, qvem non præcessit neqve dolus neqve culpa Depositarii aut Seqvestris, l. 1. §. 25. l. 14. §. f. ff. cap. f. extr. b. t. hoc ita, si SPECIES ipsa sit restituenda, aut qvantitas occlusa vel obsignata. At ubi GENUS sive TOTANTUNDEM restitui debet, hōc modō Depositum non finitur, qvoniam genus interire nequit, l. 5. ff. de R. C. l. 30. §. 5. ff. ad L. Falcid. imitatur enim istō in casu Depositum naturam Mutui, in qvod aliquando etiam converti, & ab eō terminari solet, suprà 8. XXIX.

LXXVII. Ad finem jam deducant pagellas hascē ADFINIA & concurrentia Remedia tūm contractūs DEPOSITI ac SEQVESTRI, tūm Actionum ex illō oriundarum. Et contractui utriq; cognatæ sunt innominatæ illæ conventiones, in qvibus agitur de custodiâ, sed non iisdem præcisè in terminis, qvi nominatos contractus constituunt. Hujusmodi sunt I. concessio rei ad inspiciendum, si inspectio fit causâ concedentis, l. 17. §. 2. ff. præscr. verb. II. Depositio euq̄ēr̄ḡs, de qvâ in l. 18. ff. eod. III. Depositio, qvæ fit ex causâ sponsionis, de qvâ in l. 17. §. f. ff. eod. Gregor. 23. synt. jur. 7. n. 6. IV. Depositio certæ rei vel pecuniæ, ab illis, qvi in arbitrium compromiserunt sub lege, ut detur illi, qvi obtinuit, si adversarius sententiæ arbitri parere detretet, l. 11. §. 2. ff. de recept. arbitr. V. Depositio mercis ab unâ, & depositio pretii ab alterâ parte, si emtor & venditor parùm fidei invicem habeant, l. 39. in f. ff. de solut. VI. Depositio militaris stipendii, si qvæstio sit inter militem & actuarium de pactiōne tremissis nomine habitâ, l. 16. §. 1. & ibi Cuiac. ac in l. 5. C. de erogat. milit. annon. lib. XII.

LXXIX. SE-

LXXXIX. SEQVESTRUM JUDICIALE etiam Cognata sua  
habet & concurrentia; veluti I. MISSIONEM IN BONORUM  
POSSESSIONEM, ex qvâ jus pignoris conseqvitur Missus, cap.  
2. extr. de S. P. & F. cuius à Seqvestre differentiæ colligi pos-  
sunt ex l. 4. §. 1. ff. de damn. inf. l. 2. ff. in qvib. caus. in poss. eat. l. 12. ff.  
de reb. auct. jud. possid. l. f. C. de Præt. pign. II. ARRESTUM, qvod  
est species qvædam Manus injectionis, qvâ non solùm res,  
sed & personæ detinentur, de qvo vid. Constit. Elect. p. 1. c. 29.  
& ibi Dn. Carpzov. in Jurispr. for. ac Moller. M. P. D. c. 51.  
Gail tract. sing. de Arrestis Imper. Coler. 1. de process. exec. 2. n. 279.  
ac ibi passim. Et III. REMEDIUM, qvod vocant, RECREDEN-  
TIÆ, sive ut in foro nostro nominatur, INHIBITIONIS, qvō  
possessio litigiosa usq; ad finem litis concreditur illi, quem  
in eâ esse evidentius apparet, de qvō agit cap. cum venissent.  
extr. de Institut. & Ordin. Cam. Imp. p. 2. c. 21. §. f. & vid. Dn. Carp-  
zov. Disc. sing. de Inhibit. 8. 9. Covarruv. pract. quæst. c. 17.

LXXIX. Cum actionibus verò Depositum concurrunt  
certis in casibus ACTIO PRÆSCRIPTIS VERBIS, l. 1. §. 9. ff. b. t. l. 22.  
ff. præscr. verb. l. 9. §. 3. ff. de dol. mal. MANDATI, d. l. 1. §. 11. & seqq. ff.  
b. t. nec non CONDICTIO INDEBITI, l. 31. §. 1. inf. ff. b. t. REI VIN-  
DICATIO, d. l. 1. §. 32. l. pen. ff. l. 1. C. eod. l. 9. ff. de R. V. ACTIO AD EX-  
HIBENDUM, d. l. 1. §. 32. ff. d. l. 1. C. b. t. l. 4. ff. l. 8. C. ad Exhib. nec  
non INTERDICTUM DE TABULIS EXHIBENDIS, l. 3. §. 2. ff. de tabb.  
exhib. similiter ACTIO IN FACTUM adversus nautas, caupo-  
nes & stabularios, l. 3. §. 1. ff. Naut. caup. stabul. & si furtivè res  
sit contrectata aut interversa, ACTIO FURTI, §. 6. Inst. de O. Q.  
E. D. N. l. 29. pr. ff. l. 3. C. b. t. l. 67. & 76. ff. de furt. & CONDICTIO  
FURTIVA, l. 13. §. 1. ff. b. t. j. l. 16. ff. de condict. furt. si rem corrumpendo  
damnum dederit Depositarius, etiam LEGIS AQVILLÆ  
ACTIO aliquando locum habet, l. 42. ff. ad L. Aqvil. nec non  
INJURIARUM, l. 41. ff. eod. l. 1. §. 38. ff. b. t. & FALSI ACCUSATIO, si  
hæc crimina in Depositum incident, l. 1. §. 6. ff. ad L. Cornel.  
de fals.

LXXX. Concludat pagellas hasce non parùm dubia  
quæstio: An CONSTITUTIO CAROLINA CRIMINALIS, quæ art.

170. jubet Depositarium, dolosè intervertentem rem sibi commendatam, pœnâ furti adficere; accipienda sit de POENA SUSPENDII, qvâ hodie fures neqviiores plectuntur? Ipsiis qvidem Constitutionis verbis hæc pœna non exprimitur, sed generaliter definitur, POENAM FURTI infligendam esse, qvæ pro qualitate delicti diversa est, & plerumque decerni jubetur ex consilio Prudentum, ut patet ex art. præced. Cardo proinde qvæstionis in hoc consistit: An aliquando pœna furti in re depositâ commissi ad Laquei supplicium extendi possit? Et tentabimur, an distinctione contradictiones affirmantium conciliari valeant?

LXXXI. Primò distingendum inter MODUM, qvō furtum à Depositariô committitur; Aut enim fit utendo re depositâ, qvæ palam ipsi tradita erat, vel alienando illam, præter voluntatem Deponentis; Aut effringendo priùs cistam aut vas, rumpendové signacula, qvibus inclusa res erat, & munita. ILLO CASU ad pœnam laquei non pervenientum; qvia spectandum est initium contrectationis & acceptionis, qvæ malo more hic, sicut in furtô, non fit, ut bene animadvertisse Glossa Land Recht lib. 2. art. 37. in verb. was ein Mann findet/ ic. j. d. lib. 2. art. 29. & lib. 3. art. 22. ubi Gl. in verb. Dieberen noch Raubes/ ic. qvò faciunt etiam argumenta ex l. 55. §. 1. ff. de admin. tut. & l. 19. ff. de R. J. producta ab Autoribus Consult. Saxon. tom. i. p. 4. qu. 15. n. 3. & seqq.

LXXXII. At POSTERIORE CASU rursus distingendum: An Reus confiteatur Depositum, an inficietur? ILLUD si facit, adhuc obtineat, qvod θ. præced. definitum est; Sin HOC, qvia utiq; contrectatio rerum depositarum vitiosè & invitô dominô fit; (si enim voluisse, ut Depositarius rebus inclusis aut obsignatis uteretur, non ita tradidisset; arg. l. 1. §. 41. j. l. 24. ff. b. t.) & inficiatio accedit, qvæ animum dolosum & lucri cupidum ostendit; atq; ita FURTUM VERUM committitur, l. 1. §. 2. l. 67. ff. de furt. l. 47. ff. de A. vel A.P. Ideo si res magni sit precii, nec Depositarius pro damnô satisfacere possit; (satisfactio qvippe pœnam corporalem à fure aver-

avertit, *Constit. crim. art. 160.* Dn. Carpzov. 2. *prax. crim. 80.n.*  
66.) aut in hōc crimine s̄epius deprehensus fuerit, p̄œnam,  
usq̄ue ad furcam exasperari posse arbitramur; & argu-  
mento est *Constitutio Electoralis* p. 4.c. 41. atq; ita olim etiam  
censuisse Magdeburgenses, testatur *Glossa latina ad art. 29.*  
*Landrecht lib. 2. lit. D.*

## MANTISSA.

**C**ontroversum est: An Depositio & obsignatio pecuniæ  
debitæ obligationem tollat per modum exceptionis;  
An verò ipso jure? Et qvamvis posterius communiter rece-  
ptum sit, prius tamen verisimilius videtur, scilicet Reum,  
non liberari, sed duntaxat fictione juris pro liberato haberī  
qvoad pleraqve liberationis commoda; tūm qvod pecunia  
deposita maneat in dominio Deponentis, *arg. l. 19. C. de usur.*  
*l. 1. C. qui potior in pign.* Ast ubi dominium rei manet penes  
debitorem, ibi liberatio ipso jure non contingat; tūm qvod  
Debitor manente depositione & obsignatione conveniri &  
moram facere poscit, *l. 7. ff. de usur. j. l. 88. ff. de R. J.* sed libera-  
tus ipso jure neqve conveniri ampliū valeat, neq; moram  
facere, qvemadmodum in solutione manifestè conspici-  
tur, *pr. Inst. Q. M. T. O. Cujac. tract. 8. ad Afric. in l. 39. ff. de*  
*solut. Masius I. opin. singul. 10. n. 13.*

Δόξα Μεγίση  
Τερταρίω.



AKT K 510

AD Dn. RESPONDENTEM.

PRÆside sub celebri Themidos cùm scandis a-  
renam  
MULLERE, ex animo grator, armande, TIBI,  
Accendunt ausus hi prima crepuscula famæ,  
Succedet radiis Cynthius auricomis.

A. S. T. I. T. U. M.

deproperabat

I. HIERONYMUS KRONMAYER,  
P. P.

NON est Depositū penes huncce scientia juris,  
Ut propriam studio qvam facit asiduo.  
Non seqvior dominus, qvem dicunt esse Seqve-  
strem,  
Sed verus juris posidet arva sacri.  
Hæc colit, ingenii jam spargit semina, ut inde  
Spem magni egregiam fœnoris arripiam.

*Amicitia & causâ app.*  
M. JOHANN Kühn/ Schleusingâ Fran-  
cus, Facult. Phil. & Collegii maj.  
Princ. Collega.

F I N I S.

bon  
mit

